

LVNÆ DIE 15 M. APRILIS A. 2002

A.d. XVII Kal. Maias a. MMII

107

# M E L I S S A

---



FOLIA PERENNI LATINITATI DICATA  
AUSPICIIS DOMUS ERASMIANAE CURAQUE FUNDATIONIS MELISSAE  
SEXIES IN ANNO EDITA

EDITOR RESPONSALIS  
Gaius Licoppe

COMPOSITRIX  
Francisca Deraedt



Avenue de Tervueren, 76, Tervurenlaan, B - 1040 Bruxellis.  
Tel. + 32 (0) 475.47.55.18 / Telecop. 02.735.51.32. / guy.licoppe@pophost.eunet.be  
Bureau de dépôt : 1040 Bruxelles 4 / Afgifte kantoor 1040 Brussel 4



## DE PACE

*Ergo qui desiderat pacem, præparet bellum*  
(Flavius Vegetius, Epitoma rei militaris, III Prol.)

Pacis si definitionem in quodam lexico quærimus, imprimis legimus pacem esse cum non est bellum. Alia tamen significatio infra legitur, quæ ab æqualibus nostris magis accipi solet : est status circumiectorum tranquillus, quietus, ordinatus consorsque. Homines cum huiusmodi pace frui exoptant, tum vix quicquam faciunt ut instituatur. ¶ Legimus apud Erasmus in opere c.t. *Querela pacis undique gentium electæ profiliatæque hæc* : « In arboribus, in herbis amicitiam possis agnoscere »<sup>1</sup> atque etiam : « Tot argumentis natura docuit pacem concordiamque, tot illecebris ad eam invitat, tot laqueis trahit, tot rebus compellit. »<sup>2</sup> ¶ Erasmus autem, etsi multarum rerum peritus, in historiam naturalem vix incubuit ; nam, si fecisset, brevi comperisset naturam immisericordem esse atque totam durissima lege regi, quæ est lex potentioris astutiorisque. Sive inter plantas sive inter animalia certamen est perpetuum atque inexpiable. Hoc, si circumspicere volumus, perfacile comperimus. ¶ Si quis, exempli gratia, in horto aream graminosam habet, sine dubio invasionem dentis leonis<sup>3</sup> patietur. Mirandum in modum hæc plantula sua lata denticulataque folia extendit supra vicinas herbas, quas opprimit et solis luce orbat, dum ipsa ea magis magisque fruitur ; celeriter crescit et floret ; paulo post erigitur eius flos flavus, unde nascentur sescenta semina plumosa, quæ vento quo cumque dispergentur. ¶ Cum in regno plantarum tum in regno animalium innumerabilia sunt eiusmodi exempla, quibus monstratur species quodam efficaci invento prædictas infirmiores de medio tollere. Terraqua<sup>4</sup> nostra semper fuit campus, non pacis, sed belli. ¶ Repetes fortasse Erasmi verba quæ sunt : « Uni homini indita vis rationis »<sup>5</sup> (est). Atque : (natura) « cæteris animantibus sua tribuit arma præsidiaque, quibus sese tuerentur ; unum hominem produxit inermem atque imbecillum, nec prorsus aliter tutum quam fœdere mutuaque necessitudine. »<sup>6</sup> ¶ Rationem sane habent homines, ut ipsi autumant, sed quid de hac ratione faciunt ? Iterum Erasmus auscultemus, id est ipsam Pacem loquentem : « Civitatem aspicio, spes illico oboritur inter hos saltem convenire, quos eadem cingunt moenia, eædem moderantur leges et velut una vectos navi commune continent periculum. Sed, o me miseram, quæ hic quoque dissidiis omnia vitiata compario adeo ut vix domum ullam reperire liceat, in qua mihi sit vel dies aliquot locus. Sed plebem omitto, quæ maris ritu suis æstibus rapitur. In principum aulas velut in portum quendam me recipio. Erit, inquam, certe apud hos locus paci ; plus hi sapiunt quam vulgus, ut qui sint plebis animus atque oculus populi, tum eius vices gerunt (...) Video blandas consaluta-

tiones, amicos amplexus, hilares compotationes cæteraque officia humanitatis. At, o rem indignam, apud hos nec umbram veræ concordiae licuit cernere (...) Denique adeo apud hos non esse sedem paci comporio, ut hinc potius omnium bellorum fontes ac seminaria. »<sup>7</sup> ¶ Pax, ducente Erasmo, suam inquisitionem pergit apud eruditorum greges. « Ad eruditorum greges confugiam. Bonæ literæ reddunt homines, philosophia plusquam homines, theologia reddit divos. (...) Verum proh dolor », ait Pax, « en hic quoque bellorum aliud genus, minus quidem cruentum, sed tamen non minus insanum (...) adeo ut ne in minutissimis quidem rebus inter hos conveniat ac saepenumero de lana caprina atrocissime digladietur, donec disputationis calor ab argumentis ad convicia, a conviciis ad pugnos incrudescat et si res pugionibus aut lanceis non agitur, stilis veneno tinctis sese confodiunt, dentata charta dilacerant invicem, alter in alterius famam letalia linguarum vibrant spicula. Quo me vertam toties experta mihi data verba ? Quid superest, nisi una veluti sacra ancora religio (...) Arrident vestes candidæ meoque colore insignes, video crucis pacis symbola, audio dulcissimum illud fratris cognomen, eximiæ charitatis argumentum, audio salutationes pacis leto omne felices, cerno rerum omnium communionem, coniunctum collegium, templum idem, leges easdem, conventus cottidianos. Quis hic non confidat paci locum fore ? Sed, o rem indignam, nusquam fere collegio convenit cum episcopo ; parum hoc, nisi et ipsi inter sese factionibus scinderentur (...) Et sacerdos cum sacerdote, episcopus cum episcopo certat. »<sup>8</sup> ¶ Ergo neque apud omne viventium genus neque in ipsa societate humana animadvertitur quædam proclivitas ad pacem colendam. ¶ Sunt tamen loca, ubi pax florere videtur. Si quis, verbi gratia, serena tempestate fruens rus it atque in agros, segetes silvulasque prospicit, certe locorum amoenitate, tranquillitate ordinationeque commovebitur : pacis impressionem accipiet. Natura tamen, qualis in hoc prospectu appetat, non est spontanea, sed domita. Agricola plantas colendas elegit, sevit ordinavitque. Ad eas tuendas vi impeditivit ne aliae plantæ crescere quirent ; bestias nocivas exterminavit, utiles in prata conclusit, quin etiam insecta letalibus venenis persecutus est. Et re vera, nisi hoc faceret, agri sine mora iterum feri fierent spontanea viventium competitione. ¶ Sunt etiam tempora, quibus homines in certis regionibus pace fructi sunt. In Europa occidentali iam semisæculum durat pax, unde fit ut Europæi credant pacem esse rem naturalem. Europæi regentes, qui hunc amabilem errorem apud concives suos fovent, hoc unum curant, ut populo mollem beatitudinem præ-

beant ; oblivious videntur hanc pacem tantum effectum esse tutelæ militaris consobrinorum nostrorum Americanorum. ¶ Post cladem die II m. Septembbris MMI acceptam, qua bellum contra Fœderatas Civitates Americæ Septentrionalis ab hostibus sine vultu neque certa sede susceptum est, Americani hostes detegere cœperunt atque eorum Afganos protectores armis depulerunt ipsosque tromocratas usque in remotas latitudes persecuti sunt. Tantum erat tromocratarum scelus, ut vix ulla civitas in orbe terrarum auderet Americanorum impetum in Afganiam<sup>9</sup> improbare.

¶ Deinde Americanorum regimen sibi proponit ut tromocratas, quibus sententia est « Preat America ! », ubique terrarum aggrediatur ; censet enim sibi præcavendum esse ne tromocratae nova sclera et fortasse multo maiora perpetrent. Sed multi in Europa edicunt præcavere non esse licitum ; plerique eorum sunt homines bonæ voluntatis qui contra omnem evidentiā credere volunt verba pacifica sufficere ad pacem instituendam. ¶ In diariis Europæis divulgari solent et mendacia et proposita utopica. Inter multas alias, symbolam citare possum a Michæle Watelet in diario « Le Soir » nuper divulgatam ; qui vir professor est in studiorum universitate Hanagavensi (v. univ. Mons-Hainaut) et « Gregis Paci Fovenda cogitatione et informatione » (Francogallice GRIP) sodalis. Sub titulo, qui est *De pace ut Europæ politica extranea*, leguntur inter alia hæc : « Optima fortuna est Europæ, quæ semisæculum iam pace fruitur... Cultus civilis Europæus est magis pacificus, minus vehemens magisque conscientius pauperrimorum miseriæ quam Americanus. » Qualis fortuna Europæa ! Imprimis post suum insanum bellum civile exhausta iacebat in ruinis ; in eius dimidia parte orientali permanxit egestas bonorum et orbatio libertatis. Multa decennia Europæi anxii vixerunt propter bellum frigidum, ut aiunt. Communisticum sovieticumque Russorum regimen diu minans ante paucos annos tandem corruit, non propter effectum verborum pacificorum, sed propterea quod Americanos æquare non valuerunt sovietici in competitione œconomica et militari. Alibi legimus dimidiæ pecuniæ partem in bello contra Afganiam impensam sufficere ad vitam prosperam viginti milionum hominum sustinendam. Præterea non desunt homines qui proclament dedecere bellando respondere sceleri die II m. Septembbris MMI admisso. ¶ Cum talia sive utopica sive timida verba in Europa proferri soleant, non mirum est si in diariis Americanis Europæi asperius appellantur. Inter alios Carolus Krauthammer in diario c.t. *The Washington Post* die I m. Martii edito Europæorum ignaviam increpat atque in memoriam revocat quanto detimento eis

anno 1940 fuerit se ad diaboli voluntatem accommodavisse. Recentius, scribit idem diurnarius, cum ortum esset bellum civile in Jugoslavia, i.e. in ipsa Europa, Europæi fœderandi inertes manserunt, ita ut in fine Americani armis interesse debuerint. Hæc eo magis ingrate legimus, quod sunt vera. ¶ Nolimus ergo neque mendacia neque utopica proposita colere liberosque nostros docere ; pax re vera est æquilibrium instabile, quod non sine vi instituitur neque sine iustitia servatur. ■■■

Gaius LICOPPE

1. Opera omnia Desiderii Erasmi Roterodami recognita et adnotatio critica instructa notisque illustrata, Amstelodami et Oxoniae, North-Holland Publishing Company, vol. IV-2, p. 62 l. 51.

2. *Op. cit.*, p. 64 l. 103.

3. Cui Linnæus nomen dedit *taraxacum* ; Fr. *pissenlit* sive *dent de lion* ; Angl. *dandelion* ; Th. *Löwenzahn*.

4. Terraqua est neologismus quem legimus in : G. SCHOTT, *Cursus Mathematicus* (Francofurti 1699) et quo significantur cunctæ terræ mariaque orbis terrarum (cfr adiectivum Francogallicum, quod est *terraqua*).

5. *Op. cit.*, p. 63 l. 69.

6. *Op. cit.*, p. 64 l. 86.

7. *Op. cit.*, p. 66 l. 125-140.

8. *Op. cit.*, p. 66 l. 143-170.

9. Afgania, quod ad eius nomen pertinet, præferenda est Afganistanæ ; -stan enim est suffixum e lingua Persica sumptum quo significatur regio vel locus ; ei eadem radix est ac Latino verbo temporali *standi*.

## DE MENSURA TEMPORIS

## II

- *scripsit Gaius Licoppe* -

**E**xente XVI saeculo (anno 1583) evenit ut Galileus Galileus, clarissimus mathematicus astronomusque, penduli proprietates detegret. Fama fert eum in ecclesia animadvertisse motum oscillatorium cuiusdam suspensi lampadarii eandem regularitatem habere ac sui ipsius arteriarum pulsum. Inde incubuit in proprietates penduli oscillantis, cuius leges mechanicas definire valuit.


Detecto penduli oscillationum isochronismo<sup>2</sup>, Galileus cogitare coepit de novo oscillatri genere horologiis aptando, sed neque ipse neque eius filius Vincentius horologium hoc novo modo instructum fabricatus est.

Alius vir magni ingenii, Christianus Hugenius Nederlandus, schema primi horologii pendulo praediti mente concepit, quod artifici Salomoni Coster Hagae Comitis tradidit ut horologium conficeret, id quod a. 1657 perfectum est. Statim manifestum fuit hoc novum oscillatri genus tempus multo accuratius metiri quam antea fieri poterat.


Iam non sumus Medio Ævo, quo multorum inventorum nomina ignota sunt. Hugenius sibi vehementer vindicat novi horologii inventionem ; in præfatione enim sui operis c.t. « De motu pendulorum ad horologia aptato » (1673) scribit haec : « Quia vero contigit egregio huius inventi successu, quod fieri plerumque solet, quodque futurum prædixeram, ut plures sese

eius auctores esse cuperent, aut si non sibi ipsis, suæ tamen nationis alicui potius quam nobis eum honorem tribui vellent, inquis eorum conatibus tandem aliquando occurrentum hic arbitror. »

Hugenius non solum primum horologium pendulo præditum excogitavit et fabricandum curavit, sed etiam aliud novum oscillatorum mente concepit et in usum induxit. Quod constat ex combinatione rotæ versatilis et chalybeæ spiræ elasticæ ; una spiræ extremitas est fixa, altera rotæ hæret. Si rota vertitur, spira tenditur ; tum si rota liberatur, spira tenta rotam impellit ; deinde rota recurrens spiram iterum tendit, ita ut sic fiant multæ reciprocæ versationes, quæ instar penduli oscillationum intra idem temporis spatium fiunt. Huius modi oscillatorum, cuius motus a vi gravitatis non pendet atque ad minimam dimensionem redigi potest, optime convenit horologiis gestabilibus. Hoc inventum, quod Hugenius die 30 m. Ianuarii a. 1675 secretario Societatis Regalis Francogalliae litteris nuntiavit, in multis horologiis armillaribus adhuc est in usu.



*Hugenii oscillatorum constans ex combinatione rotæ et chalybeæ spiræ elasticæ*



*Hugenii horologium oscillatorium*

Hoc notandum est, quod Hugenius in opere suo c.t. « Horologium oscillatorium » (1673) vocabulum « minutam » non adhibet, sed « scrupulum »<sup>3</sup>. Scribit enim v.g. haec : « ...indicat horam 8, cum scrupulis primis 5, secundis 24. »


Exente XVII saeculo construuntur, imprimis in Anglia, parva horologia gestabilia, quæ propter formam vocantur « cæpæ ». Iam satis fidæ sunt, cum singulis diebus error non excedat decem minutæ.

Hugenius in memoriis suis patet fecit quem ad scopum tendere deberet suum horologium : tempus magis magisque accurate metiri, accuratius quam sol ipse, ut navigatores longitudinem in alto magna cum fide scire possent.

Hoc propositum explicandum est. Ad situm cuius-

dam loci in Telluris sphæra definiendum, Antiqui iam duabus mensuris utebantur : una, quam loci « latitudinem », vocamus, est eius situs inter polum terrestrem et æquatorem in circulo imaginario per binos polos circum Telluris sphæram delineato ; qui circulus vocatur « meridianus » ; altera, quam loci « longitudinem » vocamus, est distantia inter loci meridianum et quodam præstitutum meridianum ; quæ distantia metienda est in loci « parallelo », i.e. in circulo imaginario æquatori parallelo per ipsum locum circum Tellurem delineatum.

Latitudo satis facile accurateque invenitur solis altitudinem meridie metiendo ; ad quod faciendum iam antiquitus adhibebantur varia instrumenta, ut quadrans vel astrolabium<sup>4</sup>.



*Effugium (v. échappement, escapement, Hemmung) ancora instructum*

Ad longitudinem cuiusdam loci inveniendam iam in continenti difficile est longas distantias accurate metiri, sed vix fieri potest in alto. Hoc Antiquis non erat magno detimento, sed a Renascentia, inventa America, nautæ oceanos transnavigaverunt, ubi maximis periculis occurrebant, cum suæ navis situm certe scire non possent. Propter incertam longitudinem notitiam Christophorus Columbus putavit Asiam ab Europa multo propiorem esse quam re vera est ; si bene metiri valuisset, fortasse navigationem suam ad occidentem temptare non ausus esset.

Maxima ergo opera erat danda ad methodum inveniendam, qua longitude ubicunque globi terrestris, sed præsertim in alto, inveniri posset.


Una via erat horologio cælesti uti. Nam Lunæ positionem ad rationem hærentium siderum observando et notando, tabulæ confici possunt, quibus hora cuiusdam electi meridiani singulis diebus indicatur. Tunc sufficiet ut nauta horam huius meridiani conferat cum hora quam in nave invenit solis cursum observando. Huius modi tamen tabulæ, ut sint satis fidæ, solum confici

possunt ex accuratissimis cæli observationibus, addito arduo labore mathematico. Hac de causa creata sunt primaria observatoria Europæa, unum Parisiis anno 1671, alterum Grenvici (v. *Greenwich*) anno 1676. A meridiano Parisiensi Francogalli distantias in longitudine metiri coepunt, Angli a meridiano Grenvicensi.

Ingentia præmia XVIII sæculo promissa sunt v.g. a Philippo III, Hispaniae rege, vel a Civitatibus Confœderatis Nederlandiæ, eis qui aliquid conferrent ad tabulas accuratiores faciendas. Non tamen ante annum 1767 nautæ perfectas tabulas in promptu habuerunt. Eodem vero tempore altera via, de qua nunc ageatur, ad eundem effectum duxerat.

Gemma Frisius, qui in studiorum universitate Lovaniensi docebat et clari geographi Mercatoris præceptor fuit, iam medio XVI sæculo scribebat horologia, dum essent fida, optima instrumenta esse, quibus longitude facile mensurari posset. Oportet in itineris initio horam loci notare ; postea ad longitudinem in itinere inveniendam sufficiet horam astrolabio in nave datam cum initiali hora conferre. Tempore tamen Gemmae Frisii horologia tempus nondum satis accurate metiebantur ut eius methodus utile adhiberi posset.

Hugenius ab anno 1663 in problema longitudinum mensurandarum incumbere coepit. Ille primus horologium marinum mente concepit fabricandumque curavit. Astutis rationibus impeditivit ne horologii motus fluctuatione navis perturbaretur ; e.g. horologium stegæ suspendit modo a Cardano invento. Anno 1669 navis tali horologio prædita post quinque milia chilometrorum et quingenta in oceano Atlantico emensa appulit ad insulas Promuntorii Viridis. Tunc patuit errorem 150 chilometrorum in longitudine factum esse.



*Hugenii horologium marinum*

Sæculo XVIII, ut crescere posset navigatio maritima, instabat necessitas longitudinem exactius metiendi. Quare anno 1714 parliamentum Britannicum magnum præmium ei promisit, qui horologium conficeret, quo longitudinis error inferior foret 48 chiliometris. Idem fecit anno 1718 Scientiarum Academia Parisiensis.

In hac competitione Angli victores evaserunt propter inexpectatum eventum. Anno enim 1700 Helvetius mathematicus Nicolaus Fatio technicam invenit ad gemmas terebrandas vel formandas idoneam. E quo invento tunc statuit quæstum facere in Anglia. Hoc invento horologiarii sine mora usi sunt. Nam in quolibet horologio necessarium erat adfrictus axium metallorum in suis foraminibus metallicis oleo infuso minuere. Sed olei pinguitudo decursu temporis mutatur et insuper pulvis oleo ita retinetur ut fiat cænum, quod axium motibus magis magisque est impedimento. Contra, si axis vertitur in gemmæ foramine, iam non eget oleo. Hac ergo inventione adhibita multo accuratius operatur horologii mechanismus.

Alii progressus non parvi momenti facti sunt XVIII sæculo, imprimis in mehanismo effugii, ubi adfrictus etiam erant minuendi. Georgius Graham (1673-1751), Anglus, mehanismo occurso formam ancoræ dedit, qua adfrictus multo leviores facti sunt. Aliud problema in eo erat, quod oscillati periodus mutabatur pro ratione æris temperaturæ; pendula composita excogita sunt, qui essent apta ad temperaturæ variationes compensandas.

Angli primi ad metam necessitatibus navigationis impositam pervenerunt; anno 1765 præmium tributum est Iohanni Harrison, 75 annos nato, qui in hanc perfectionem obtinendam quadraginta annos incubuerat.

Eodem tempore, i.e. anno 1761, a Francogallo horologario Petro Le Roy fictum est vocabulum « chronometrum » ad accuratissima horologia designanda.

Sæculo XIX horologiorum fabricatio magis magisque mehanica atque industrialis facta est. Magna chronometrorum marinorum diffusio efficit ut commercium maritimum multum augeretur. Nulla tamen inventio cuiusdam momenti facta est usque XX sæculum, quo scientia physica magnos fecit progressus. Multi minimique motus oscillatorii tunc inventi sunt, quorum brevissimæ periodi aptissimæ sunt ad tempus accuratissime metiendum. Inde orta sunt horologia quarzica, quorum oscillatorum constat ex minimis compressionibus periodicis crystalli quarzici vi electrica excitati.

Legitima universaque temporis mensura nunc nititur in exiguissima periodo cuiusdam undæ electromagneticae. Sol nostra ætate iam non est temporis mensuræ summus arbiter, qualis ab initio cultus humani

diutissime fuit. Miraculum de quo iam ante tria sæcula cogitabat Hugenius nunc factum est: ipsius solis motus accuratissimis horologiis investigantur... et non videntur esse perfecte regulares! ☀



*Chronometrum marinum in pyxide modo Cardanio suspensum (XIX sæc.)*

1. Pêndulum, i: hoc substantivum est neologismus, quem induxit Christianus Hugenius ad hoc suspensum pondus designandum, cuius oscillationibus tempus mensuratur. Ante Hugenii librum c.t. *Horologium oscillatorium* editum, Comenius in libro c.t. *Orbis pictus* mentionem fecit de « horologiis cum perpendiculo ». Idem scribit etiam hæc: « Perpendiculum vibratione sua motum horologii temperat » (cfr. C. Eichenseer, *Collectanea usui linguae Latinae dicata*, Saraviponti, Societas Latina, 1999, p. 268). Hugenius tamen differentiam facere voluit inter vetus instrumentum quod vocatur perpendiculum et rem omnino novam. Præterea penduli motus potius oscillationes quam vibrationes iure appellat.
2. Isochronismus, i: est proprietas huius generis motus reciproci, cuius omnes itus reditusque intra idem temporis spatium fiunt; isochronus, a, um: hoc adiectivum est neologismus, quem adhibet Hugenius (pendulum isochronum, *op. cit.* p. 9).
3. Scripulum sive scrupulum, i: antiquitus significat minimum pondus vel cuiusdam rei parvam quantitatem (sicut vicesimam quartam partem horæ). Hugenius hoc vocabulum adhibet ad sexagesimam horæ partem designandam: « Quorum circulorum interior duodecim horarum divisionem habet, alter scrupulorum sexaginta » (*op. cit.* p. 6).
4. Astrolabium, ii: instrumentum astronomicum a Græcis inventum (ο ἀστρολάβος), Arabibus traditum, per quos in Europam occidentalem sero pervenit. Cfr R. Hoven, *Lexique de la Prose latine de la Renaissance*, Lugduni Batavorum, Brill, 1994, p. 32.

## EVRO AN EVRONVS ?

- *scripsit Ericus Palmén* -

Incipiente anno 2002 in plurimis terris Unionis Europæ adhiberi cœpta est communis unitas pecunaria, cui in diversis linguis etiam nomen est commune : euro (Angli quidem adhuc etiam de eurocurrency loquuntur). Qua congruentia fit, ut, cum decernere velimus, quonam modo Latine denominanda et declinanda sit hæc nova pecunia, nemini dubium esse credas, quin optimum factu sit nominativum sive casum rectum, quem in omnibus vocabulis declinandis pro fundamento habere consuevimus, in forma aliis linguis iam stabilita immutatum servare eamque in tertia declinatione (euro, euronis) collocare.

Hanc simplicem simulque lucidissimam rationem secutus Thomas Pekkanen primum nuntium Latinum Radiophoniæ Finnicæ Generalis 4.1.2002 emissum « Euro in usum receptus » inscripsit (crassicula me auctore), ac de euronibus in locum pecuniarum nationalium succendentibus hæc rettulit : « Initio novo anno circiter trecentæ miliones Europæorum, qui in duodecim terris Unionis Monetariæ Europæ habitant, pecuniis suis nationalibus depositis chartas nummarias monetisque communes in usum reperirent. Nova pecunia est euro, qui in centesimas divisus est. Apud plerosque populos Unionis pecunia nationalis iuxta euronos usque ad finem mensis Februarii adhiberi poterit. Transitus in usum euronum fuit ingens operatio, nam anno vergente quinquaginta miliarda nummorum et quattuordecim miliarda et dimidium chartarum nummariarum publice emissarum sunt. »

In recentissimo autem fasciculo VOCIS LATINÆ (147/2002, p.105) hæc leguntur : « ...pro ipsa *institutione unius septimanæ* 95 euronii solvendi sunt ». Idem fasciculus concluditur mentione pretii, quo liber nuperrime editus Erici Mariæ Remarque DE NOCTE OLISPONENSI venalis prostat : eum « *septendecim euronis* » (non *euronibus*) constare. In his enuntiatis nova unitas pecunaria in secundam declinationem translata est (*euronus, euronii*) et forma sua fundamentali desistere coacta. Etiam alibi in eodem fasciculo forma secundæ declinationis usurpatur.

Fundamenta huius usus in VOCE LATINA iam prius exposita sunt. E.g. in fasciculo 135/1999, p.47 C. Eichenseer refert inter concessum annum SOCIETATIS LATINÆ de nomine Latino novæ pecuniae « multum disceptatum » esse, donec concluderetur eam « simpliciter nominandam esse euronus,-i m. », quod « antiquitus in usu » fuissent « aureus, denarius, sestertius » ac recentiora nomina horum similia, e.g. « scellinus, penningus, Francus (*Gallicus, Belgicus, Helveticus*), thalerus ».

At illa argumentatio uno vitio laborat : euro prope

solum est nomen pecuniae in forma vulgari fundamentali in -o exiens, neque exempla supra commemorata cum eo protinus comparabilia sunt. Inveniatur oportet aliud nomen ei similius, quod in eo declinando possimus imitari ; sed vereor, ne id non facile exsistat. Pro exemplo non cedit escudo, quod e substantivo Latino scutum originem trahens per naturalem evolutionem in linguis Hiberoromanicis consedit.

Constat ne prisca quidem pecuniarum nomina universa in -us exire, sed partem eorum aliis declinationibus, quin etiam tertia contineri. Recordemur e.g. versus celeberrimos Horati Romani *pueri longis rationibus assem / discunt in partes centum diducere*. *Dicat / filius Albini : si de quincunce remota est / uncia, quid superat ? Poteras dixisse. 'Triens.' Eu, / rem poteris servare tuam. Redit uncia ; quid fit ? / 'Semis.'*... (Ars poetica 325-329). E recentiorum pecuniarum nominibus Latinis nonnulla per se ad Latinitatem aptissima sunt. Num quis est, quin e.g. pesetam Hispanicam sua sponte in prima declinatione collocet ? Item euro recens advena sui generis iudicetur, velut antesignanus monetarius, cui tertia declinatio domicilium aptissimum præbeat.

Neque tamen, quæ supra scripsi, ita intellegi oportet, ut euronus atrociter ab omni usu sit excludendus. Nonnulli Latinitatis periti, quos de hac re sententiam rogavi, uno ore consentiunt illam formam secundæ declinationis, quamvis pro ipsis unitatis pecuniarie denominatione male cedat, tamen aptam esse, quæ pro substantivo derivato adhibeatur. Etiam hodie passim acerrime ambigitur, quatenus omnino operæ pretium fuerit communem unitatem pecuniarum Europeam creare. Quid, si fautores euronis euronos atque adversarios eiusdem antieuronos vocemus ? E.g. Renato Ruggiero, Italiæ pristinus minister rerum exterarum, sincerissimus euronis fautor sive euronus est ; Silvio autem Berlusconi, qui primus minister Italiæ factus res eo perduxit, ut etiam exterarum rerum ministri munera sibi mandarentur, potius adversarius euronis sive antieuronus esse perhibetur.

Quomodo nova pecunia Latine appelletur, denique non auctoritate cuiusquam, sed usu decernetur, *quem penes arbitrium est et ius et norma loquendi* (Horatius, Ars poetica 72). Utique magnopere mirabor, nisi certamine inter duas formas propositas orto euro superior discesserit. ■■■

## EMBRICONIS « VITAM MAHVMETI »

- proponit Francisca Deraedt -

**V**ix credibile est, quot quantosque thesauros sustineant bibliothecarum nostrarum pegmata. His temporibus, quibus multum agitur de Islamismo, fortuito incidi in libellum, quo Vido Cambier professor Bruxellensis delectabilem Embriconis Moguntini *Vitam Mahumeti* ab oblivione vindicavit<sup>1</sup>.

Embrico (1010?-1077) est auctor parum notus, oriundus ex urbe Mogontiaco (hodie Mainz in Germania), qui Augustæ Vindelicorum (Augsburg) fuit episcopus. Eius *Vita Mahumeti*, quamvis diu habita sit pro incredibili serie mendaciorum, ridicularum fabularum crassorumque anachronismorum, tamen vere digna est quæ legatur, cum non solum textus sit attractivus, distichis elegiacis iucunde conscriptus, sed etiam cum hic habeamus utile testimonium de Christianis illius temporis, unde comperire possimus, quid de Islamismo sciverint et cogitaverint.

Inest certe unus anachronismus, insunt non pauca fabulosa. Verum enimvero omnia, quæ de vita Mahumeti a variis auctoribus traduntur, magnam partem sunt commenticia, ut etiam hodie discerni vix possit quid sit verum, quid falsum. Embrico autem non paucos fontes tractavit, et scriptos, ut sunt inter alios *Apocalypsis Babiræ* IX sæculo conscripta ab Arabe Christiano nomine *Abd Al Masib*, scripta Byzantinorum, Hispani auctores Eulogius et Alvarus, et orales, qui multi fuerunt.

Etenim iam ab octavo sæculo commercia instituta sunt inter orientales Musulmanos et regiones Russicas, Scandinavas, Germanicas, Anglo-Saxonicas ; mare Caspium, flumen Volga (antiquitus Rha vocatum) et mare Balticum fuerunt viæ communicationis. A sæculo decimo mare Mediterraneum factum est vinculum inter mundum Islamicum et Europam Christianam. Præter commerciales rationes, sacræ peregrinationibus effectum est ut Christiani viatores Mahumeti convenienter assectatores. Byzantium etiam, quocum Germania consuetudines commerciales et diplomaticas habebat, effecit ut Islamismus melius nosceretur. Sed imprimis Hispani, si quis alias, multum cohabitaverunt cum Musulmanis. « Mozarabes », qui vocati sunt, si Christianam religionem servaverunt, tamen lingua, litteras, mores, vestimenta Arabica sibi adoptaverunt aliisque multa procul dubio habuerunt narranda, cum crebra itinera fierent inter Vandaliciam ceteraque Europæ regiones. Manifestum etiam est Embriconem Hispanos scriptores novisse.

Idem si sui temporis legit scripta, legit etiam antiquos auctores, quibus est imbutus. Plus enim quam semel eius textus redolet Ovidium, Vergilium Horatiumve, non solum in adhibitis locutionibus, sed

etiam usque ad ipsas res narratas : nonne Mammutius taurum sine difficultate domans similis est Iasoni cum tauro pugnanti ? nonne sepulcrum Mammutii aliquid similitudinis habet cum Phoebi palatio ?

Sed transeamus ad ipsam Mahumeti Vitam, cuius excerpta tibi, lector, hic propono, intersertis summariis quibus rerum contextum possis facile sequi.



Heu ! Quot sunt stulti, miseranda fraude, sepulti,  
Contemptaque Dei cognitione rei,  
Qui Christum spernunt cuius miracula cernunt,  
Quem Dominum solum iam tremit omne solum !  
(v. 1-4)

Vermis eos rodit quos omnipotens Deus odit  
Penaque fit pravis multiplicata gravis.  
(v. 27-28)

*Mammutius (Mahumet) dispensator est apud divitem hominem, Libyæ consulem. Magus quidam malignus, qui consulem frequentat, Mammutium iudicat esse aptum « proposito sceleri » (v. 230). Ei promittit se ei omnia datum esse, quæ cupiat. Mammutius libertatem petit. Itaque magus primum eius dominum necat, deinde in corde viduæ incendit amorem, quo inflammata consulis uxor non solum servum donat libertate, sed insuper se ei matrimonio coniungit :*

Illa redit gaudens et iam quodvis scelus audens,  
Dummodo Mammutium possit habere suum.  
Impaciensque more, mox libertatis honore  
Donans Mammutium, detrahit officium  
Illi servile pro quo sibi reddit herile,  
Atque suum dominum, constituit famulum  
Nempe maritali theda rituque iugali  
Huic se subposuit, heu ! quia depuduit.  
(v. 307-314)

*Magus, qui iam nova molitur, Mammutio persuadet ut vitulum secreto alat :*

« Per me maiorem », Magus inquit, « habebis honorem  
Si tibi que iubeo, feceris, ut iubeo :  
Haut ablactatum sed nunc de matre creatum  
Sume tibi vitulum ! Res lateat populum !  
Sumptum claudemus et nutriri faciemus  
Ut nulli pateat qua vitulus lateat.

Res tamen ut vere possit sine teste latere,  
 Est opus arte mea. Fiet enim cavae  
 Omnibus ignota sic et de luce remota  
 Ut, quid ibi fiat, sol neque luna sciat !  
 Illuc ponatur vitulus sed ne videatur !  
 Solus ibi lateat ! Nil nisi nos videat !  
 Neve repentina se prodat vox vitulina,  
 Ne possit prodi, debet in ima fodi ;  
 Curaque sit prima quod sic fodiarur in ima,  
 Aures ne populi vox feriat vituli !  
 Nos duo pascemus illum solique sciemus ;  
 Nec res proficiet si vaga turba sciet.  
 Ast oculus quintus vitulum si viderit intus,  
 Quintum post oculum scire putas populum.  
 Ergo fac celes et nulli dicta reveles !  
 Debes ipse tui calliditate frui. »  
 Mammutius stabat et respondere parabat,  
 Sed Magus hunc cohibet atque loqui prohibet.  
 « Non est dicendum nunc », inquit, « sed faciendum ! »  
 (v. 329-353)

*Vitulus autem crescens potius fit monstrum quam taurus :*

Quem si spectares, taurum vix esse putares ;  
 Dixisses potius : « Demonis est socius ! »  
 Nam non taurina fuit illi sed peregrina  
 Monstri forma novi, nec simulanda bovi.  
 Cornibus horrendus, plus rinocerote timendus ;  
 Ignea lux oculi terror erat populi,  
 Horruit ipsarum quasi spinis forma generum ;  
 Huic habuit nares bestia nulla pares.  
 Terribilis flatus, patulus fuit oris hiatus  
 Et rictus atri forma fuit baratri.

(v. 369-378)

*Interea...*

Interea flenda res accidit atque dolenda :  
 Filius Ecclesie, rex obiit Libie.

(v. 387-388)

*Qui fuerat rex bonus, rectus et pius. Eius mors a populo defletur ; magnifice sepelitur. Postea est successor eligendus ; de qua re magus suum habet propositum. Ad populum perfide contionatur :*

Pro vobis oro, vobis prodesse labore,  
 Vester semper ero qualibet ut potero.  
 Sed quia nunc istis pro rebus consuluitis  
 Personam vilem, me, misero similem... (v. 547-550)

*Dolose proponit certamen cum aliquo animali feroci, tamquam candidatorum probationem :*

« Sed rex prudenter Libiam reget atque potenter,  
 Qui taurum melius subiugat et levius.  
 Hic confirmabit et iusticiam solidabit,  
 Noxia mutabit et nova iura dabit.  
 Et qua regnabit, mala quelibet inde fugabit  
 Florebitque pia pace sub hoc Libia.  
 (...)  
 Eia, rex esse qui vis, modo regna capesse !  
 Imperii dotes queris ? Habere potes !  
 Qui iugat hunc taurum, capiat, me iudice, laurum,  
 Atque, iubente Deo, terra sit hec sub eo. »  
 (v. 563-568, 599-602)

Sed taurus stabat in seque fremens dubitabat  
 Quid potius faceret, quos prius impeteret.  
 (v. 605-606)

*Omnibus cunctantibus, iuvenis quidam statuit rem tempore et...*

Hec ait ad taurum : « Nisi victus des michi laurum,  
 Nobiliter moriar laudeque sic potiar.  
 Te feriente, mori magno michi fiet honori ;  
 Hec tibi laus feritas sed michi strenuitas ! »  
 (v. 613-616)

*Iam suspicamur qualis futurus sit pugnæ exitus : miser iuvenis dilaceratur a monstro. Populus admiratur :*

At varie gentes dicebant ista videntes :  
 « Venit revera celitus ista fera,  
 Iureque regnabit, illam quicumque domabit. »  
 (v. 651-653)

*Taurus autem, dum aliam querit victimam, suos dominos, a quibus nutritus est, quos solos novit, forte aspicit :*

Quaque sibi notos videt illos stare remotos,  
 Hac abiit propere sed populus fugere.  
 Cepit ab hac parte magica male lusus ab arte.  
 Cum mox Mammutius, ille Magi socius,  
 Nil paciendo metus procedit ab agmine letus -  
 Egreditur solus, fraus, scelus, ipse dolus,  
 Perfidie zelus ! - aderat iam taurus anhelus  
 Et sibi prelatas sepe sed ante datas  
 Ore manus lambit dominumque frequentius ambit,  
 Quem, sicut voluit, Mammutius tenuit. (v. 657-666)

# SCRIPTA MANENT

*Quid plura ?*

Mammantium rapiunt et dominum faciunt.  
(v. 680)

*Quod vebementer vituperat auctor :*

Mammutius fit rex per quem sacra deperiit lex :  
Ordine nam tali venit origo mali.  
(v. 695-696)

*Regno obtento, novæ leges sunt ferendæ. De qua remagus iam scit, quid habeat susurrandum :*

« Per me summus eris, per me Deus efficieris  
Si, que te moneo, feceris, ut iubeo.  
Lex mutandorum gravis est Evangeliorum,  
Que sensu vacuos nos putat et fatuos  
Dum nos mechari prohibet vel luxuriari.  
(...)  
Nil magis est oneri quam stricta lege teneri.  
Ergo fac liceant omnia que libeant ! »  
(v. 709-713, 723-724)

*Hæc enim est, ait magus, summa ratio regum, qui tranquille regnare volunt :*

« Ergo decet regem tantum talem dare legem  
Ut quicquid libeat, hoc etiam liceat.  
Sic sic magnus eris, sic perpeti pace frueris... »  
(v. 739-741)

*Mammutius magi consilium sequitur :*

Ad magicos nutus rex queque nefanda secutus,  
Sicut pollicitus est, ita sollicitus  
Omnia complevit : sacras leges abolevit  
Et, quicquid libuit, hoc licitum statuit.  
Addit et hoc sceleri, nolentes hoc revereri  
Rebus privari supplicisque dari.  
(v. 761-766)

*Populus autem, ut erat exspectandum, hac nova licentia lætatur. Quam lætitiam auctor non potest severe non iudicare :*

O gens confusa, magico male dogmate lusa,  
O socianda feris, o miseranda, peris !  
« Libera sum ! » dicis ; libertas hec inimicis  
Nostris eveniat nosque, precor, fugiat !  
Libertas talis vobis erit excialis,

Que vos dampnabit supplicisque dabit.

(v. 775-780)

*Non pauci tamen remanent Christiani Dei legem prædicantes, in quos rex crudelissime sœvit :*

Ille famen patitur, ille siti moritur,  
Quidam truncati, quidam sunt igne probati,  
Vectibus hic foditur aut oleo coquitur,  
Ille coronatur quia vivus decoriatur,  
Hic sectus periit astraque sic subiit,  
Ille triumphavit quia corvos in cruce pavit,  
Hic ymbrem rapidum sustinuit lapidum,  
Tigribus oblati quidam vel precipitati,  
Vicerunt alii supplicio gladii.

(v. 822-830)

*Sed Deus omnipotens non potest fidelium suorum persecutionem sic pati. Mammutium pœnae causa reddit epilepticum :*

Sed sibi vindictam Dominus memor esse relictam  
Mammutium subito percutit et merito :  
Nam male pro gestis rapit hunc epilentica pestis  
Que vexet miserum pro numero scelerum.  
(v. 837-840)

*Cum populus mirabilibus epilepsiæ signis sollicitetur,  
Mammutius ut aliquid explicacionis iactationisque præbeat explicat se inter has crises non ægrotare, sed itinera facere in cælum. Hæc est occasio longæ orationis :*

« Sed quia plorasti, me quando dolere putasti,  
Discite quam gratus sit meus ille status.  
Cum velut amentem me cernitis atque dolentem,  
In celum rapior nilque mali pacior.  
Nam tunc sanctorum fruor alloquio superorum  
Condignasque Deo delicias habeo.  
Quippe meos visus ibi delectat paradisus,  
Glorior ymnificis laudibus angelicis. »  
(v. 897-904)

*Dicit se versari in cælestibus deliciis...*

« Unde recusarem reditus et non remearem  
Nec mundum peterem, vos nisi diligarem. »  
(v. 919-920)

*Astute etiam Mammutius palam nuntiat se in cælo superos deprecatum esse pro suo populo, ut servaretur.  
Populus tranquillatur. Inconsulte ! Nam auctor*

*Mabumeto suisque bic pœnam promittit terrificam :*

Te, membrum Sathane, chaos absorbebit inane  
Et, quasi te siciat, Tartarus omnis hiat.

(...)

Et tibi, gens stulta, superest confusio multa  
Nec tibi leticia semper erit socia :  
Cursu namque brevi spaciū decurritur evi ;  
Post quod finitum, vadis ad interitum  
Cumque tuo Mahumet Plutonis victima fies  
Errorisque tui premia percipies.

(v. 999-1000, 1003-1008)

*Narratione ad finem paulatim vergente, exspectanda  
nunc est vindicta divina. Quæ erit terribilis. Ergo quo-  
dam mane Mammutius forte solus exit ambulatum...*

Et meditans ibat, quid agat, que dogmata scribat,  
Et quid cras doceat unde suis placeat.

(...)

Nam que verba daret populo, dum rex agitaret,  
Corripuit solita pestis eum subita.  
Et cadit exsanguis, torpens quasi frigidus anguis,  
Nec, sicut voluit, esse nocens potuit.

(v. 1017-1018, 1021-1024)

*Sequitur morbi descriptio satis realistica ; dum  
Mammutius sic iacet excruciatus, adveniunt... porci :*

Sic, absente Mago, tenet hunc dum mortis imago,  
Accurrere sues - digna repente lues ! -.  
Qui rapidus sic grex quasi spernens quod foret hic rex,  
Totus in hunc properat et miserum lacerat.  
Ac vite reliquum quod adhuc sustentat iniquum,  
Exhaurit leviter ille gemens graviter.  
O, tandem moritur ! Morienti Stix aperitur  
Et Stigius latro mergitur in baratro.

(v. 1035-1042)

*Interea magus audivit regem esse solum profectum.  
Mammutium querit, invenit, statimque cogitat quomodo  
sit res populo nuntianda.*

Secum dicebat : « Quando pater Hectora flebat,  
Numquid ei lacrime profuerant ? - Minime ! »  
Ergo cum luctus nullos faceret sibi fructus,  
Corde quidem doluit, flere tamen posuit.

(v. 1063-1066)

*Itaque corpus reportat populumque bis alloquitur verbis :*

« Rex est ille quidem celestis factus ibidem  
Utque suos pueros nos vocat ad superos.

(...)

Sed quid turbatur cor vestrum dum meditatur  
Et causam querit cur pater hic dederit  
Porcis rodenda sua membra nimis reveranda ?  
Quam caro sit vilis, mors docet hec humilis.  
Hoc ut monstraret et aperte significaret,  
Ipse pati voluit nosque per hoc monuit  
Quam fragiles simus...

(...)

Cuius mandatis hoc addimus ut caveatis  
Porcina temere vos dape polluere. »

(v. 1085-1086, 1091-1097, 1103-1104)

*Superest ut magus sepulcrum paret, in quo Mahumeti  
capulus, babili systemate magnetico sublevatus, videatur  
miraculose tendere ad cælum :*

Construxit fanum, fanum non, immo profanum,  
Cuius pro foribus sculptile marmoribus  
Carmen habebatur, quod tale fuisse putatur :  
« Hic bene quod petitur, per Mahumet dabitur ».  
(...)

Plus mirareris si forsitan ingredereris ;  
Fulgor enim lapidum te faceret stupidum.  
Qui sic ornabant opus auri quod variabant  
Sicut nocturnum lucida stella polum.

(...)

Et quia revera magnes sic contrahit era,  
In qua rex iacuit, tumba levata fuit  
Et sic pendebat, quod vis lapidum faciebat.  
Ergo rudes populi, prodigium tumuli  
Postquam viderunt, rem pro signo tenuerunt.

(v. 1115-1118, 1129-1132, 1137-1141)

*His denique versibus carmen Embriconis concluditur :*

Sed nos errorum quia causas diximus horum,  
Musa manum teneat et Mahumet pereat !

(v. 1147-1148) ■

i. G. CAMBIER, *Embricon de Mayence. La Vie de Mahomet*, Latomus, Bruxelles, 1961.

## ODIVM ACADEMICVM

## I

- *scripsit Alexander Ricius Lotharingius* -

**G**ressus gressus pergressus percongressus Bodи se  
**V**acua...<sup>1</sup> Verba hæc more fere ecclesiastico cantata  
 patienter audiebat Sugimotus Teucæus. Quotiens iam  
 hodie Ferrario *Orsa Cordis* Latine modulanti aures  
 dederat ? Decies, vicies ? Potius centies dixisset, adeo  
 enim tædebat. Insuper Lusitanus malleolo miræ speciei  
 tympanum, quod Iapones « piscem ligneum » vocabant,  
 vehementer cutiens syllabas scandebat ; sic gregoriano  
 cantui Iaponicos rhythmos monasticos miscebat.  
 Noverat Teucæus magistrum suum eas exercitationes  
 haud parvi facere ; immo supremo oblectamento ei  
 exsistebat scripturas Bodicas latinissare. In toto  
 Iaponiæ regno nimirum duo tantum homines erant qui  
 Latine intellegere possent. « Proh dolor, secum mussi-  
 tabat Teucæus, unus ex eis ego sum. » Alter scilicet  
 Ferrarius erat. Tanta autem scientia aliquot horas  
 molestiæ merebatur, ut bene noverat discipulus.  
 Animum ergo ad magistri verba revocavit. « Quid  
 putas, mi Teucæe ? Forsitan malis Græce carmen pro-  
 nuntiare : *Gêthei gêthei paragêthei parasyngeâthei...* »  
 Aliquid nimirum respondendum erat. « Confiteor,  
 Magister, me neutrum intellegere. Curnam carminis  
 verba, quæ utique Sanscritice sunt, nemini scilicet  
 intellegenda, in Latinum Græcumque vertere non  
 dubitas ? » Aliquando propriam audaciam admirabatur  
 iuvenis ; Iaponensi magistro nequaquam tam aperte  
 contradicere ausus esset, at diutinas necessitudines  
 propter noverat nihil magis amare Ferrarium quam  
 liberam disputationem. « Aptissime advertis,  
 carissime ! » pergaudebat Lusitanus, « heic enim *Cordis*  
 cor latet : persuasum habeo nihil carmen hoc valere in  
 Europa nisi linguis nostris aptatae sint voces. Europæ  
 linguae sacræ sunt Græca et Latina, in utramvis ergo  
 vertendum est carmen ; te autem iubeo sincere profite-  
 ri utram malis. » « Di boni ! Quidnam respondere  
 licet ? » hærebat discipulus. Tandem nodum gordium  
 propria Minerva secuit : « Novisti me Græci sermonis  
 ignarum esse ; motu naturali igitur in Latinam linguam  
 pronus sum. Præterea placet vocum musica : Latine sit  
 carmen. » In pectore autem putabat : « Quidnam refert ?  
 Nemo præter nos umquam hæc lecturus est. O magister,  
 frustra laboras. » « Hem, rationi congruit istud. Sub lite  
 adhuc sit iudicium. Cras hæc resumamus. »  
 Anticipatione tremuit Teucæus. « Nunc enim aliud  
 negotium nos manet : hora quarta (id est more  
 Europæ circa horam nonam decimam matutinam)  
 condictum habemus. Nosmet comparare oportet. »  
 Citius vestes salutatorias induerunt atque extra  
 ædes prætorias, quarum ad tempus hospites erant, in  
 frigidulum matutinum vernale se dederunt. Ut solebat  
 Ferrarius vultum barbatum flavo panno involverat ut

transeuntium curiosos oculos fugeret ; habitu autem  
 monastica laicus miscebat. Eius discipulus, capillis pro-  
 llixis struppo colligatis, studentis medici vestimentum  
 illotius superbe gerebat, non sine pugione zonæ appenso.

Vicum Nubiferæ Clusæ<sup>2</sup> (*Kasumigaseki*) ubi erat  
 prætorium dum ambulant, Ferrarius Teucæum de  
 condicto adloquitur : « Academiam Triplicis Inspectio-  
 nis petimus, cui præsidet doctus amicus noster Ryûga,  
 quem Draconidentem nomino. Nostri hominem :  
 utraque lingua, Sinica videlicet et Iaponica, eruditus  
 est ; carmina Sinica scitule pangit. At maxime Sinica  
 antiqua opera commentando delectatur. Circum se par-  
 vum discipulorum globum congregavit, omnes nimi-  
 rum nobiles atque divitiores, quibus more suo anti-  
 quos interpretatur. Nunc autem temporis Iedoni viget  
 secta illa philosophica quam ad Iaponiam transtulerunt  
 Coreani captivi, cum dux Hideyosi Coream exeunte  
 superiore sæculo occupavit. Haud quidem nova est :  
 fundatorem habet philosophum Sinensem clarissimum  
 Porphyrium Lamprum seu Tsucium (id est *Tchou Hi*),  
 qui plus quam quattuor ante sæculis obiit. At capta  
 Corea ferum suum victorem ignota adhuc doctrina  
 cepit. Nonne nuperime vidimus Fujiwaræ Seicæ, qui  
 primus a captivi ore his studuit, discipulum maximum,  
 Boscum illum Retimontanum (*Haiasi Razan* scilicet),  
 antiquissima sacrificia Confucii more renovare, hac  
 demum in urbe ? Sed Draconidens noster nova hæc  
 recusat ; asserit Porphyrii propriam sententiam  
 Confucii verba potius offuscare quam illustrare, nem-  
 nemque clarius hæc opera intellegere posse quam  
 poëtas et philologos, nam in Sinis supremi philologi  
 exsistant ipsi poëtæ. Equidem illum valde probo, qui tam  
 iucunde quam erudite antiqua Sinica opera nobis aperiat. »

Dum loquuntur, potius dum soliloquitur Ferrarius  
 Latine, interdum transiens quidam obstupefactus gra-  
 dum sistebat eosque curiose inspiciebat, mirando extra-  
 neoque sermone percussus. Tunc Ferrarius callide ad  
 loquelas Meacensem verba statim vertebat. Curiosus  
 continuo sonoras antiquæ Urbis voces agnoscebat atque  
 aestimabat se prius male audivisse. Versutissime iam ille  
 hac latebra utebatur, quam haud parum gaudebat Teucæus.  
 « Sed omnium maxime nollem occasionem amittere  
 participandi tam selecti litteratorum circuli. Nostri  
 quam Sino-Iaponicis litteris delecter, quam prorsus  
 admirer unicam illam legendi methodum qua utuntur  
 Iapones ut litteras Sinicas Iaponica voce grammaticaque  
 reddant. Hoc studium mihi fastidium numquam parit,  
 atque Draconidens noster illius scientiæ genuinus  
 exsistit thesaurus. Insuper, cum alienigena sim atque  
 plerisque heic odio, me semper humanissime accipit,  
 immo libenter de Europæis rebus philosophiaque me

percunctatur, quod non est sine periculo hac ætate. Porro academiam illius, præter studentes, frequentant philosophi atque philologi plures quibuscum necessitudines coniunxi. Hodie eorum nonnulli tibi obviam fient. »

Teucæus nesciebat cur hæc sibi notissima narraret Ferrarius, sed attente audiebat, cum nullam occasionem Latine descendendi amitteret ; utique fieri poterat ut Latinæ exercitationis causa talia referret magister. Tristius autem mente agitabat quod modo dixerat ille de odio in alienigenas. Ipse imaginari nequibat quomodo se gereret si vice versa in Europa solus esset Iapo in alienæ gentis custodia detentus.

Inter hæc verba cogitatusque ambo ad vicum tranquillum advenerunt, quem iuxta ædificatae erant ædes haud ita quidem nobiles sed lepidæ. Ad portulam stiterunt cuius muscosum tectulum arundinibus factum erat ; in apposito titulo tria hieroglypha certa manu scripta erant *Sansejuku*, id est Triplicis Inspectionis Academia. Teucæus subridens recitavit : « Cottidie tripliciter me ipsum inspicio : utrum aliena attendens probus non fuerim ; utrum cum amicis sociisque versans fidelis non fuerim ; utrum haud exercita tradiderim. » « Confucii Analecta a me in Latinum versa diligenter, ut constat, memoriæ commisisti. Hodie demum Analecta tractabimus. Cito ineamus. »

Post portulam angustior erat hortulus quem in sparsis pavimentis pedes ponentes transierunt ad ædium aditum usque. Labile ostium apertum erat, cum exspectarentur hospites. In vestibulo leviter clamavit Teucæus dum soccos ligneos ad gradum deposuerunt : « Bona vestra venia. » In androne eis advenit famulus adulescens qui eos reverenter atque hilare salutavit flexis genibus : « Fauste advenistis ; magister hospites omnes iam adsunt. »

Ad vestibuli gradum apposita erat supellex ensifera (quam Ferrarius pædagogico more suo interdum « machærophoron » appellabat) : ibi iam depositæ erant enses quinque, quas hospitibus urbanitatis causa inferre non licebat. Teucæus pugionem apud se servavit ; Ferrarius ut solebat inermus erat, sicut et monasticum statum et animum suum decebat, at pannum a vultu explicavit. Adulescens eos per andronem ad aulam scholasticam duxit ; denuo genua flexit ut valvas labiles aperiret ; ampliorem aulam intraverunt Lusitanus discipulusque, storearum circiter decem magnitudine. E regione, ante zothecam (sive *toconoma*) Confucii picta imagine ornatam sedebant more Iaponico Draconidens ; pro se habebat lectorinum parvum ubi liber iam appositus erat. Iuxta parietem (re vera plutei labiles pro pariete erant) sedebant quinque hospites, quorum ante singulos in storeis apertos erat liber. Cum

ambo genua flecterent salutaturi, Draconidens eis perurbane arrisit : « Bene venistis ; assidite precor. » Magniloquo nomine a se ipso afflictus ille revera homullus erat, vultu lenis, annorum circiter sexaginta. « Fieri potest », in pectore mussitabat Teucæus, « ut draconum dentes eiusdem sint staturæ. »

« Hospites nostros nonnullos iam, puto, novistis. » Manu sedentes monstravit, qui alias aliter Ferrarium considerabant. Primus utrique notissimus erat atque non sine magno gaudio eum heic videbant : homo mirificus quidem, tam ingenio quam corpore singularis, vetus amicus Chelycephalus. Vasta illius corporis obesi moles alios veluti obumbrabat ; benignum hilaremque vultum occultabat barba nigra, hirsuti capilli nomini contradicebant. Ferrario genuine arrisit, corpus propter gaudium commovens perinde ac ursus sedens ; et Teucæum oculis salutavit.

Ille Chelycephalus seu Caput Testudinis rara quidem avis erat, qui exempla sibi posuerat antiquos Sinarum sapientes sectatoresque Laocianæ Viæ ; Villarii (*Tchouang-tseu*) illius præclari philosophi scripta perscrutatus erat atque communes mores, quos vulgares appellabat, quatenus licitum erat in severo Ducum regimine, contemnebat. Primum admiratus erat Ferrarius tam paraxenum<sup>3</sup> hominem cum Draconidente supercilioso philologo necessitudines coniunxisse, sed reppererat ambos pari Sinicæ pœsis amore congruere. Chelycephalus carmina quæ phrenetica dicuntur colebat, sed huic exuberanti arti adeo strictam philologiam afferebat ut pusillus grammaticus Confucii sectator eum super plerosque respiceret. Illius scholis tamquam assiduus auditor aderat neque ut alibi solebat heic dabat iocos.

Ad Chelycephali sinistram sedebant Draconidentis discipuli maiores duo, quorum nominum oblitus erat Teucæus. Dein alii bini quos primum videbat. Unus, qui ætate maior videbatur, fere annorum triginta, statura procerus et sedens parebat ; quadratus eius vultus tum animi fortitudinem cum pertinaciam manifestabat. Iuxta eum iuvenis erat, valde corpore tenuior, cuius inquieti oculi modo huc modo illuc fluctuabant. Draconidens utriusque nomen produxit : « Ille est Racous, clarissimus discipulus e Retimontani schola ortus, cuius opera iam plura edita miram linguæ Sinicæ scientiam demonstrant, necnon perfectam adhæsionem ad Porphyrii Lampri doctrinas. Nos hodie visit ut ipse testis sit interpretationum nostrarum turpitudinis. »

Levis ironia Racoum irritaverat ; perbreviter capite eos salutavit, adeo vero breviter ut potius contumelia quam salutatio videretur. Nec merum odium dissimilare conabatur cum Ferrarium intueretur.

« At ille est iuvenis Rozanus, eiusdem scholæ discipulus, cui olim, ut spero, vera revelabuntur. » Salsa hæc, quamvis leniora, Racous iram augere visa sunt, cuius os iam flagrabat. Iunior autem rubescet, oculi magis magisque fluctabant; eos rite salutavit neque vocem emittere potuit. Timide seniorem respxit, qui prorsus aestuabat.

Draconidens mimica hæc ignoravit atque vivaciter nuntiavit: « Iam convenimus omnes, tempus est lectio nem incipere. » Libri in lectorino positi paginas aliquot volvit. « Numquam tabescunt antiquorum opera, semper ad ea revertere oportet. Nunc, ut pollicitus sum, sanctissimi Confucii Analecta a principio legemus. »

Continuo firma voce legit: « Magister ait: *Qui discat atque tempore ea exerceat, nonne delectetur?* » Brevi interposito spatio, ferventer explicare coepit: « His verbis omnium nobis sanctissimum liber aperitur, sanctissimorum igitur sanctissima existunt. Cunctis hominibus regula heic datur perennis ubicunque terrarum valida. Quid autem monet Magister? Prudentis est non solum studiis vacare, sed etiam ea quæ didicit apto tempore in res exercere. Ipsum tempus discernere est sapientis methodus. »

Incredibile quid tunc accidit, quo obstupuit Teucæus cuiusque causa Ferrarius supercilium contraxit. Racous enim qui super talis sedebat, inurbanissime genu prorsum admovit atque magistrum loquentem interrupti. « Sic ‘tempore’ vocabulum interpretari non dubitas, cum Porphyrius magister claro clarius demonstraverit in hoc loco ‘tempore’ non aliud quam ‘indesinenter’ significare. »

Subrisit homullus neque Racous asperitatem animadvertere visus: « Attamen nusquam in antiquis libris invenies hoc vocabulum ‘indesinenter’ valere; vereor ne Lamprus heic non satis illustraverit. » Quæ audiens Chelycephalus cachinnos edidit: « Perbelle! Quæ est temporis valentia? Utrum discretum quid est, an continuum? Quid de hoc censem bonzius noster? Forsitan Dogenii loca nobis citet de tempore et esse. » Noverat enim Ferrarium Dogenii, Scholæ Meditationis (*Zen*) monachi qui saeculo XIII floruerat, scriptis haud parvam operam tunc dare. Omnes aciem in Lusitanum intenderunt, quasi diversionem petentes. At ille melius sapiebat quam ut verba immiseret; mente aliquid agitare videbatur. Teucæus secum putabat Racoum istum valde raucum esse, sed nesciebat an Ferrario iocum suum nunc referret.

Pertinaciter iste insistebat: « Nonne in eisdem Analectis dictum est sapientem virum aquis delectari, humanum virum montibus delectari? Quo patet humanitatem, quæ omnium virtutum radix est, non inter-

dum exercendam esse, sed constanter indesinenterque, sicut montes constantes firmi immutati sunt. Ista tua interpretatione homines exhortaris ad versutiam, non ad virtutem. » Sic fulminans et tonans oculos in Draconidentem defigebat, quasi eum ad pugnam excitans. Pusillus vero magister imperturbatus: « Cave tamen ne tam excelsus mons nonnisi musculum pariat. » Irridenter Rozanum aspexit, quem, ut patebat, expavesciebat alteratio. Strictius sese torsit ubi Chelycephalus hilarius interiecit: « Musculus, ut ita di me amant, omnium bestiarum sonorissime stridet, cum rugire se putet. »

Teucæus animorum contentionem relaxare conans ineptius advertit et apud Christianos similiorem locutionem esse de monte mureque, dum sperat fore ut Ferrarius aliquid adderet. Verba autem eius in contrarium evaserunt. Denuo increpavit Racous philologum: « Quidnam utique exspectandum sit ex homine qui barbaros accipit eorumque sententiis aurem præbet. Iste (Ferrarium indicabat) viva nobis est contumelia, neque intellego quomodo adhuc vivat. »

Severior Draconidentis vultus factus est: « Ne amplius hospitibus meis insultaveris! Scire debes et rusticis moribus modum esse. »

Aliquid responsurus erat furiosus insolitis asperitate verbis his, at Rozanus titubanter a pulvillo sessili surrexit atque balbutivit: « Magister, precor, ubi est latrina? Cito illuc ire deboeo. » Patebat iurgium fragilia eius viscera conturbavisse.

Incongruitas hæc omnium silentium fecit. Homunculus manu unum e sedentibus discipulis monuit ut iuvenem duceret. Is Rozanum silenter invitavit pluteumque labilem aperuit, deinde post se clausit. Racous quasi ad se ipsum revertens pulvillum quem in ira sua calcaverat ordinavit atque cum morosa taciturnitate sedit. Omnes, ut saepius post intemperata verba contingit, incerti videbantur et aliquantulum pudore afflicti. Gradus tantum paulisper auditи sunt amborum iuvenum præter perambulacellum quod horum interiorem circumibat. Propter longiorem quietem eminus perveniebant adiacentis vici attenuati rumores. Fere torpescabant omnes.

Exempli auditus est ululatus omnino inhumanus qui hospites perterriti.... [continuabitur] ■■■

1. Vertit Ferrarius carmen illud mysteriosum tam in Græcum quam in Latinum, Europæ linguas sacras. Tam parum significare videtur utraque versio quam Sanscritice, at sonora quidem existunt.

2. Clusa: montium aditus, et castellum aditum protegens: cfr J.F. NIERMEYER, *Mediae Latinitatis Lexicon Minus*, Lugduni Batavorum, Brill, 1976, p. 192.

3. παράξενος: insolitus, singularis.

## DE LIBRO A DISCIPVLIS CONFECTO

- refert Gaius Licoppe -

## DIES

quaevis dies  
dies unica  
modo ima et depressa  
modo summa et sublimis  
  
suam quæque  
faciem habeto  
sit serena alia  
alia sit opaca  
  
alia erit optima  
claudicabit alia  
in summam mutare imam  
nemo umquam poterit

## DAG

elke dag is er één  
elke dag is uniek  
de een is een put  
en de ander een piek  
  
gun elke dag  
zijn eigen gezicht  
de een is open  
de and're is dicht  
  
de een is perfect  
en de ander van slag  
je maakt van een put  
nooit een piek van een dag

**A**nte nonnullos annos, Gandavi, in præstanti Instituto Sancti Petri, linguae Latinæ magister Christianus Buyse inter mensarum scriptoriarum ordines deambulabat, ut suorum discipulorum mentis intentionem sustineret ; erat enim ultima lectio ultimi septimanæ diei. Eius oculi tunc fortuito inciderunt in poematum, quod ad parietem erat a discipulis affixum : opus Antonii Hermans clari poetæ Nederlandi ! Aliiquid ei in mentem statim venit. Discipulos iussit libros claudere atque poematum in tablam nigram transscribere. Deinde eis suasit ut versiculos Nederlandicos Latine redderent. Miraculum ! Intentissimi subito facti sunt discipuli, qui iuxta lineas Nederlandicas mox Latinas lineas conscripserunt. Nonnulli etiam post campanæ sonitum in classe manserunt ad translationem poliendam.

Hoc fuit initium pulchræ historiæ. Discipuli enim, qui complures annos lingue Latinæ iam studuerant sed numquam, ut mos nunc est, e Nederlandico in Latinum quicquam verterant, statuerunt plura Antonii Hermans carmina in Latinum vertere, quæ in fasciculum collecta iam sunt et in lucem edita. Inde paulatim bona consuetudo facta est inter discipulos magistrumque et poëtam. Consilium una ceperant novi fasci-

culi in lucem edendi. Res bene procedebat, cum infeliciter Antonius Hermans vita functus est. Discipuli tamen in eius honorem memoriamque rem perficere voluerunt. Decem poemata electa sunt, quorum argumenta pertinent ad vitam et amorem.

Fasciculus auspiciis « Foundationis Toon Hermans » editus est ac pro bibliophilis apparatus. Typi enim plumbei antiquo more fabricati sunt, impressio facta est veteribus prelis, lautum tegimentum confectum est e Nepalensi papyro manu confecta. Discipuli statuerunt fasciculum dono dare et Belgidi principissæ Mathildæ et Batavæ principissæ Maximæ. Hoc opus Dominico die 24 m. Martii primum in publicum divulgatum est in internationali « Bursa Ligaturæ », quæ Antverpiæ habita est.

Hac historia demonstratur usum lingue Latinæ a discipulis nequaquam respui, sed tolli a civitatis regmine.

Exemplum ex opere excerptum hic ostendimus, una cum Nederlandico textu originali ; si quis libellum emere cupit – pretium est 10 EUR –, scribat ad magistrum propositi auctorem : Kris Buyse, Sint-Pietersinstituut, Koning Albertlaan, 70 - 9000 Gent (buysekris@hotmail.com). ■■■



## DE NOVIS LIBRIS

H. NIKITINSKI (ed.), *Davidis Rubnkenii oratio De doctore umbratico*, Neapoli, Vivarium, 2001, 91 pp.

**D**avid Ruhnkenius, nisi vobis est notus, dignus est qui notescat. Hic præclarus professor anno 1761 Lugduni Batavorum in Academia orationem habuit, qua « doctorem umbraticum » taxaret. De quo ageretur umbratico, iam illo tempore dubitatum est, nec defuerunt doctissimi viri qui suspicarentur se sic ipsos derideri. Etenim non paucis locis Ruhnkenii iudicium est tamquam sagitta recte collineata ; hac vivida et audaci oratione omnes reprehenduntur, qui libenter indulgent... pedantismo, sit venia verbo. Nec ullus relinquitur sagittis intactus : magister, doctor academicus, rhetor, historicus, omnes vapulant pro suis meritis. Quæ iudicia præ se nonnumquam ferunt modernitatem satis miram ; quid de hoc : « Sæpenumero homines mediocriter docti, at bono prædicti ingenio, et vitæ humanæ

usu politi, quid in antiquis scriptoribus rectum, venustum, et admirabile sit, multo melius intelligunt, quam qui ætate in tenebris ergastulis conterenda, permanent sibi eruditionem compararint » (p. 36). Et de hoc : « Etenim falsa scientiæ opinione inflati, non se accommodant infirmis ingenii, sed, ut supra vulgus sapere videantur, eruditionem venditant, docendo difficultates augent, et angustas puerorum mentes præceptorum farragine opprimunt et suffocant. Ita fit, ut adolescentuli animum despondeant, et quas nondum cognovere litteras, odisse incipient. » (p. 33).

Editio ab Helgo Nikitinski hic oblata, explicationibus, adnotationibus, appendice doctissime ornata, vere est digna sapienti auctore, qui illo die anni 1761 tot inimicos sibi fortasse comparavit, quot auditores habuit, sed qui oratione sua litteras et eruditionem defendere voluit ab obscuritate, etsi docta.

F.D.

## QVEROLVS

ANONYMA COMÆDIA QVINTI P.CHR.N. SÆCVLI VSVI DISCIPVLORVM APTATA



**C**omœdia c.t. Querolus parum est nota nostris temporibus, sed digna quæ ab oblivione vindicetur. Quamquam auctoris nomen est ignotum, scimus tamen eum fuisse quandam officialem illius Rutilii Namatiani, qui carmen panxit « De redditu suo ». Argumentum est simplex : Querolus, Euclionis filius, vir indole satis morosus, ut patet – querulus enim est is qui semper queritur –, dum ante aram domesticam suo more lamentatur, inopinanter audit vocem incorporalem, vocem Laris sui familiaris. Sermo fit de Euclione, Queroli patre, qui longe a domo itinerans mortem nuper obiit. Querolus putat patrem nihil pecuniae reliquisse. Nescit autem se re vera esse divitem, ideo Laris monita satis mira non intellegit. Interea adveniunt parasiti Mandrogerus et Sardanapalus, Querolo ignoti, qui de thesauro inveniendo plura sciunt. Euclio enim moriens Mandrogero mandavit ut Querolum adiret eique ostenderet ubi esset thesaurus

conditus. Isti autem potius in animo est thesaurum sibi soli reservare. Euclionis indiculo, id est loci descriptione, prædictus domum invenit, simulans se magum esse Queroli credulitate facile abutitur, intrat, rapit urnam ab Euclione indicatam, proficiscitur. Euclio tamen non omnia dixerat...

Comœdia Queroli æqualibus nostris nimis longa videtur ; eius actio tardatur nonnullis excursibus extensisque monologis, qui ad ipsum argumentum vix spectant. Itaque, cum cogitaremus de re hodiernis adolescentibus proponenda, statuimus textum multo breviorem facere solosque eligere dialogos vividos et ad argumentum pertinentes. Superest libellus discipulis aptus, fabula sera antiquitate ad imitationem Plauti conscripta, quæ iucunde legi et in scæna agi potest.

*Hic libellus constat 5 EUR, inclusis sumptibus cursualibus, et venalis prostat apud Fundationem Melissam.*

## AMICOS LATINE CANIT

- Alanus Van Dievoet -

## AD THEODORICVM SACRÉ

Quæ te Musa favens, quæ te perdocta Camena  
edocuere chely sacros componere versus  
sermonesque sacros sacra recitare loquela ?  
Potastine puer sacro de fonte caballi,  
an cursu ærio te sacris Pegasus alis  
portavit sublime ad sacrum Heliconis acumen ?

## AD STEPHANVM FEYE

Scholæ Novæ scholarcham et conditorem

Ne pereat veterum doctrina secreta sophorum,  
ne sileat semper magici vox muta Smaragdi,  
fundasti ludum quo perpetuantur in ævum,  
Hermæ ter magni mysteria magna verendi.  
Sic nova vita datur prisco trunko moribundo,  
sic nova de priscis oritur schola vivida cunis.

IN HONOREM AVGVSTI ANCARANI  
amici librorum

Tot tibi sunt libri, quot gaudia mentis, amice,  
tot tibi sint semper pectore lætitiae.

Tot tibi sunt libri, quot tritæ dulciter horæ,  
tot tibi sint semper tempora dulciflua.


Hi tibi semper erunt veterum revocatio rerum,  
cum fortasse homines plus coluere bonum.

Hi tibi semper erunt, rueret si mundus hiatu,  
securus portus dulceque configuum.

## AD GAIUM LICOPPE

Latinitatis vivæ defensorem et propagatorem

Ars longa est, dicunt medici, sed vita brevis lux,  
sic via longa quoque est usque ad Latium redivivum :  
tu medicus bene scis teque ars perlonga iuvabit,  
iampridem linguam qui sanes semisepultam,  
nec via longa tibi gravis, indefesse viator,  
qui multos homines, multas urbesque latino  
ore loquens nosti, præ te vexilla latina  
gestans pacifice per terras non bene gratas.  
Tuque gregis nostri, patrone et optime ductor,  
perge diu nobis constanti mente favere  
atque animo forti Latii defendere linguam,  
ne misere pereat quondam regina triumphans.  
Perge etiam calamo docto varioque docere  
lectores, carpens passim nova mella Melissæ.  
Sic eris usque quod es, fortis, bonus atque fidelis,  
fundator solidus, constructor et aedificator,  
omnibus attentus, semper quoque firmus amicus,  
ni nimis est, etiam cum te pituita molestat !





# *In hoc fasciculo !*



*De pace [G. Licoppe] p. 1*

*De mensura temporis (II) [G. Licoppe] p. 3*

*Euro an euronous ? [E. Palmén] p. 6*

*Embriconis « Vita Mabumeti » [F. Deraedt] p. 7*

*Odium academicum (I) [A. Ricius] p. 11*

*De libro a discipulis confecto [G. Licoppe] p. 14*

*Bibliotheca Latina p. 15*

*Musa Latina [A. Van Vievoet] p. 16*

## LATINE LOQVI...

### OFFICINA PŒTICA

13-20 m. Iulii a. 2002 fiet in Polonia, non longe ab Opolia, in pulcherrimo castello Villa Lapidis, L.V.P.A. adiuvante. Thēma erit de poesi Latina recte pangenda. ¶ Qui plura scire cupiunt scribant ad Annam Elissam Radke, Frankfurter Strasse, 64, D-35037 Marburg (AnnaElissaRadke@aol.com)

### FERIÆ LATINÆ

Media in Provincia, in abbatia Sancti Michælis Ferigoleensis, loco amœnissimo et quietissimo, a die 19 ad diem 26 m. Iulii fient feriæ æstivæ inter quas lingua Latina sit sermo participum communis. ¶ Qui plura scire volunt scribant ad Iohannem Claudium Champeau, 121, chemin des Moulins supérieur, F-06510 Gattières, vel Clementem Desessard, Rés. des Collines, C9, 500, rue Léo Brun, F-06210 Mandelieu

### CONVENTICVLVM LEXINTONIANVM

Conventiculum anno bis millesimo secundo a mensis Iulii die undevicesimo usque ad undetricesimum agabitur. Eo in primis proposito congregabuntur participes ut peritiam aliquam ex tempore et volubiliter Latine sermocinandi permultaque Latine exprimendi adipiscantur. ¶ Qui plura scire volunt scribant ad Professorem Terentium Tunberg, inscriptio electronica : clatot@pop.uky.edu

### SEMINARIA SOCIETATIS LATINÆ

Seminaria Societatis Latinæ sunt prima huius generis, quæ inde ab anno 1973 instituebantur. Moderatores sunt Dr P.C. Eichenseer et D.rix S. Albert. ¶ Duo seminaria anno 2002 instituentur : Morsaci (Morschach) in Helvetia : 21-27 m. Iulii a. 2002. ¶ in Belgica in abbatia Maredsolana : 21-27 m. Augusti a. 2002. Qui plura scire volunt scribant ad Societatem Latinam, Universität, FR 5.2, D-66041 Saarbrücken (s.albert@rz.uni-sb.de)

### SEMINARIVM SICILIENSE

institutum a circulo Latino Panormitano et Fundatione Melissa, fiet a die 4 in diem 11 m. Augusti a. 2002 in summo monte Sancti Iuliani, olim Veneris, unde ingens patet prospectus ad mare, litus, campos et colles. ¶ Qui plura scire cupiunt scribant ad Professorem Georgium Di Maria, Dipartimento di studi greci, latini e musicali, Facoltà di Lettere e Filosofia, Viale delle Scienze, I-90128 Palermo (moderator@cirlapa.org)

### SEPTIMANA AMCENEVBVRGENSIS

cuius thema est « Latine loqui - Romane coquere » habebitur a die 28 m. Iulii ad diem 3 m. Augusti a. 2002. ¶ Qui plura scire cupiunt scribant ad Thomam Gölzhäuser, Westerwaldstrasse, 13a, D-35630 Ehringshausen (goelzhaeuserpost@hotmail.com)

### HEBDOMADA STVDIORVM LATINORVM

instituetur his de argumentis : pace, bello, tolerantia ad religionem pertinenti et dialogo inter civitatibus. Participes dispertientur in globulis, a moderatoribus ductis, qui incipient et ducent disputationes de propositis locis (Cicerio, Vergilius, Biblia Sacra Vulgata, Augustinus, Petrus Abelardus, Dante, Nicolaus Cusanus, Leibnitz et multi alii). Quod seminarium fiet a die 16 in diem 22 m. Augusti a. 2002. ¶ Qui plura scire cupiunt scribant ad Academiam Vivarium Novum ([www.vivariumnovum.it](http://www.vivariumnovum.it))

### CONVENTVS INTERNATIONALIS ALF

Decimus conventus Academiæ Latinitati Fovendae Matriti habebitur a die 2 ad diem 7 m. Septembris a. 2002. Argumenta in Conventu tractanda erunt duo : ¶ De lingua Latina communicationis inter Europæos instrumento a XV usque ad XXI sæculum. ¶ De inceptis hodiernis institutionis Latinæ renovandæ ac vivæ Latinitatis fovendæ. ¶ Qui plura scire cupiunt scribant ad Antonium Capellan moderatorem ([hilf@tekhnai.es](mailto:hilf@tekhnai.es))